

Per. Jul. \* Ind. Mundi. Anni Chr. Era ioc.

DE DOCTRINA TEMPORUM,

factum esse conquestus est, quod alienos fines ab hoste vindicasset. Ita flagrantibus odiis bellum exarsit. Quod dum utrimque paratur; Licinius avaritia, & crudelitate grassari cepit, multis ob divitias interfecit. Anonymus.

Constantinus de Licinii legibus irritandis rescriptum dedit xvii. Kal. Jun. L. 1. Cod. de infirm. his quae sub tyr.

Crispus Caesar cum grandi classe ad occupandam Asiam a patre missus. cui Licinius cum navalibus copiis Aman-dum opposuit. ipse circa Hadrianopolin maximo exercitu latera ardui montis impleverat. Constantinus disciplina militari, & felicitate confusum illius exercitum vicit, leviterque femore sauciatus est. Ita Anonymus. Pugnatum est v. Non. Jul. ut refert Idatius. Habebat in exercitu Licinius cl. m. equitum xv m. Caesa sunt xxxiv m. Zosimus 11.

Licinius accepta clade Byzantium petit; ac Martinianum Caesarem facit. Crispus interim Callipolin pervenit. ubi navali praelio adeo superior fuit, ut capta, vel oppressa classe, vix Amanus effergerit. Licinius Chalcedonem cum thesauris confugit. Byzantium vero Constantinus occupavit. Acri deinde praelio victus est tertio ad Chalcedonem Licinius xiv. Kalend. Octobris, ait Idatius.

Itaque Constantia uxore Licinii apud fratrem agente, vita Licinio concessa est. Is in ordinem redactus, & convivio Constantini adhibitus est. Martinianus quoque vita donatus. Licinius Thessaloniam missus est. Hac Anonymus.

Zosimus ait ingentem vim hostium esse caesam ad e. m. circiter: tum Licinium Nicomediam sese recepisse: atque inde cum Constantino pacem fecisse. Vide Euseb. lib. 1. de vita Constant.

Florebat hoc tempore egregia laude sanctitatis S. Nicolaus Myrensis Episcopus.

Paulino Antiocheno Episcopo mortuo, magna de successore subrogando ibidem orta contentio est: cum Ariani vehementer optarent, ut eo Caesariensis Eusebius transferretur. Euseb. lib. 111. de vita Constant. cap. LVII. Tandem ordinatus est Eustathius Catholicus, & laudatus antistes. Theodor. lib. 1, cap. VII.

Gliscente in dies interim Ariana peste: tum altercatione illa de Paschatis celebratione inter Asianos potissimum vigente, de indicenda generali Synodo deliberatum est: idque sequenti anno confectum.

Paulinus. Silvestri 12. Julianus.

PRIMA SYNODUS OECUMENICA NICENA.

Licinius Thessalonicae novis rebus studens, Constantini iussu peremptus est. Martinianus vero in Cappadocia. Anonymus. Idatius, Euseb. Chron.

His Coss. celebrata est Synodus Nicena contra Arium a cccxviii. Patribus. Coepa est xiiii. Kal. Jul. & viii. Kalend. Septemb. terminata.

Conditum in ea fidei Symbolum: decretumque uti Pascha eodem ab omnibus tempore perageretur. Sub finem Concilii Constantinus Vicennalia Nicomediae celebravit. Euseb. Chron. & lib. 111. de Vita cap. xiv; nec non lib. IV, cap. XI.

Ariani palinodiam recantantes a Synodo recepti. quin & Arius ipse ea lege, ut ne Alexandriam rediret. Athan. Apol. 11. Hieron. Dial. cont. Lucifer.

Silvester missis ad se Concilii decretis, coacta Romae Synodo probavit quae in illo gesta fuerant.

Constantinus gladiatorum spectacula edicto sustulit Kal. Oct. L. 1. Cod. de gladiat.

Eusebius Caesariensis Chronicon suum hoc anno terminat.

Constantinus Aug. VII. Silvestri 13. Constantius Caesar.

Hoc anno Crispus Caesar, quod in suspicionem incertae cum noverca consuetudinis venisset, Polae in Istria occiditur, ut ait Ammianus lib. XIV. At Zosimus Romae id factum asserit lib. 11. De anno testatur Idatius. Sozomenus item lib. 1, cap. v, anno xx. Constantini idipsum adscribit; nono vero ex quo Crispus Caesar est factus, Eusebius in Chron.

Eodem anno & Licinius Licinii F. interemptus est. Euseb. Zosimus 11.

Imp. Rom. Olymp. Urbis cond. Era Nab.

Table with columns for Imp. Rom., Olymp., Urbis cond., Era Nab. and numerical values for various years.

Table with columns for Per. Jul. \* Ind., Mundi, Anni Chr., Era ioc. and numerical values for various years.

5039 4309 326 43 37. 4. 14 B

LIBER DECIMUS TERTIUS.

Vicennalia Constantini Romae edita sunt. Idatius, & Euseb. Chron.

Constantinus adversus haereticos sanxit; eosque conventus habere prohibuit: aedes illorum dirui, & Catholicis attribui iussit. Euseb. lib. 111. de vita Const. cap. 131.

Helena Constantini mater crucem Domini Hierosolymis repertam, & insignibus miraculis exploratam divisit, ac partem ibi reliquit; partem sibi sumpsit. Ambr. Orat. de fun. Theod. Paulinus Epist. XI. Sulpitius Severus 11.

At Constantinus Hierosolymorum instauravit urbem, & in ea basilicam insignem extrui iussit. Helena porro duas alias erexit: unam Bethleemi, alteram in monte Olivarum. Euseb. lib. 111. de vita Const. cap. xxiv. & XLIII.

Alexandro Episcopo mortuo, quinto post celebratam Nicenae Synodum mense creatus est Alexandria Episcopus Athanasius. Theod. lib. 1. cap. xxvi. Athan. Apol. 11.

Arnobius in Africa rhetor clarus habetur. qui cum in civitate Sicca ad declamandum juvenes erudiret, & adhuc Ethnicus ad credulitatem somniis compelleretur, neque ab Episcopis impetraret fidem, quam semper impugnaverat, elucubravit adversus pristinam religionem luculentissimos libros: & tandem veluti quibusdam obsidibus pietatis foedus impetravit. Hieron. in Chron.

Florebat & Lactantius Arnobii discipulus, qui Crispi Caesaris extremae aetate praceptor fuit. Hier. Catalogo.

In Perfide contra Christianos persecutio gravis a Sapore commovetur: in qua Acepstimas, Aithales, & alii quamplurimi pro Christo passi sunt. Theophanes. Cedrenus, qui & Metrodori cuiusdam Philosophi scitu non indignam historiam refert.

Calocerus magister pecoris camelorum Cyprum specie regni occupat. fed mox oppressus interficitur. Aurel. Victor. Hieron. Chron.

Constantius Caesar v. Silvestri 14. Maximus.

Arius, qui haeresein hactenus dissimularat, per Eusebium Nicomediensem Alexandriam redire molitur. Sed nec iste, nec Imperator id ab Athanasio extorquere potuit. Athan. Apol. 11.

Evangelium Indiis per Frumentium Tyrium importatur, qui ab Athanasio Episcopo illis datus est. Rufinus lib. 1. cap. 13. Socrat. 1. cap. xv. Theodoret. 1. cap. xxiii. Sozom. 1. cap. xxiiii.

Eodem tempore Iberi Christianae cuiusdam captivae opera Christi fidem suscipiunt: ut iidem illi memoriae produnt.

Hoc anno Constantinus Faustam uxorem suam ob falsam Crispi delationem in balneo interfici iussit. Hieron. Chron. Zosimus 11. Eutrop. x. Cujus crudelitatem Ablavius, qui postea Cof. fuit, his versibus notavit, quos palatinis foribus appendit.

Saturni aurea saecla quis requirat? Sum hac gemma, sed Neroniana.

Sidon. lib. v. Epist. VIII.

Hoc ferè tempore mortua est Helena Romae, inter filii ac nepotum complexus, annos lxxx. nata, Aug. xviii. & a filio magnifice sepulta in basilica SS. martyrum Marcellini & Petri, via Lavicana. Euseb. lib. 111. de vita, cap. XLVI. & XLVII.

Idem porro Constantinus Drepanum Bithyniae civitatem in honorem Luciani martyris ibi conditi instaurans ex vocabulo matris suae Helenopolin nominavit. Hier. Chron.

Januarius. Silvestri 15. Justus.

Athanasius dioecesim suam Isthmum in Mareotide pro Episcopo se gerentem dejecit: qui ad Meletianos confugit. Athan. Apol. 11. In ea peregrinatione SS. Antonium, & Pachomium invenit.

Juvenus Presbyter Hispanus Evangelia carmine vertit. Hieron. Chron. & in Catal.

Publilius Optatianus Porphyrius missus ad Constantinum insigni volumine ab exilio liberatur. Hieron. Chron.

Circa hoc tempus Constantinus Byzantii situm, opportunitatemque contemplatus instaurare, ac munite aggreditur, ibique sedem imperii constituit. Zosimus 11.

Constantinus Aug. VIII. Silvestri 16. Constantinus Caesar IV.

Meletiani, & Eusebiani falsis criminibus Athanasium exagitant. Sed eorum fraude comperta Constantinus tam illos, quam Eusebium Nicomediensem execratus est, eundemque deturbari sede sua iussit. Athan. Apol. II. Socrat. 1. cap. xx. Sozom. 11. cap. xx.

Pars II. Fff 2 Galli.

Per. Jul. \* Ind. Mundi. Anni Chr. Era Dioc.

Table with columns for Per. Jul. \* Ind., Mundi, Anni Chr., Era Dioc. and numerical values for various years.

Imp. Rom. Olymp. Urbis cond. Era Nab.

Table with columns for Imp. Rom., Olymp., Urbis cond., Era Nab. and numerical values for various years.



Per. Jul. Ind.	Mundi.	Anni Chr.	Era Dioc.	Imp. Rom.	Olymp.	Urbis cond.	Era Nab.
5043 3. 8. 3 D	4313	330	47	25	11	1083	1078
<p><i>Galicanus.</i> <i>Symmachus.</i> His Coss. Constantinopolis dedicata est v. Id. Maias. Idatius. Vide lib. xi. cap. xlv. Hanc ipsam urbem Constantinus penè totius orbis Romani spoliis locupletavit, alteramque Romam esse voluit.</p>				<p><i>Silvestri</i> 17.</p>			
5044 4. 9. 4 C	4314	331	48	26	111	1084	1079
<p><i>Bassus.</i> <i>Ablabius.</i> Meletiani Eusebio Nicomediensi auctore, falsa quædam crimina Athanasio impingunt contracti calicis, &amp; Arsenii occisi. Socrat. 1. cap. xx. Sozom. 11. cap. xxii. Edicto Constantini gentium templa subverfa sunt. Hieron. Chron. Theophanes.</p>				<p><i>Silvestri</i> 18.</p>			
5045 5. 10. 5 BA	4315	332	49	27	112	1085	1080
<p><i>Pacatianus.</i> <i>Hilarius.</i> Constantinus contra Gotthos implorantibus Sarmatis auxilium tulit. Itaque per Constantinum Cæsarem centum propè millia fame &amp; frigore extincta sunt. Tunc &amp; obsides accepit: &amp; inter eos Ariarici regis filium. Anonymus. Idatius quoque xii. Kalend. Maii victos ait Gotthos à Romanis in terris Sarmatarum. quod &amp; Hier. in Chron. memorat.</p>				<p><i>Silvestri</i> 19.</p>			
5046 6. 11. 6 G	4316	333	50	28	Olymp. 278	1086	1081
<p><i>Dalmatius.</i> <i>Xenophilus.</i> Athanasius misit Macario Presbytero ad Constantinum plenè se de objectis criminibus purgavit: ad eumque perhonorificas litteras Constantinus misit. Athan. Apol. 11. Constans Constantini F. hoc anno levatus est Cæsar viii. Kal. Jan. Idatius. Eodem anno Constantinus v. Kal. Oct. medicis, &amp; professoribus litterarum immunitatem confirmavit, quo facilis liberalibus studiis multos instituerent. Lib. 2. Cod. de Med. &amp; Prof.</p>				<p><i>Silvestri</i> 20.</p>			
5047 7. 12. 7 E	4317	334	51	29	11	1087	1082
<p><i>Optatus.</i> <i>Paulinus.</i> Constantinus in causa Athanasii Cæsaream Palaestina convenire Episcopos iussit. qui subinde Tyrum translati. Cogendi concilii fuit &amp; altera ratio, ut basilicam Hierosolymis dedicarent. Socrat. 1. cap. xx. Sarmatarum servi contra dominos rebellarunt. quos pulsos Constantinus libenter accepit: &amp; amplius ccc. m. hominum mixta ætatis, &amp; sexus per Thraciam, Scythiam, Macedoniam, Italiàmque divisit. Anonymus. Idatius. Hieron. Chron. qui Arcaragantas vocari profugos illos refert. Vide Ammianum lib. xvii. &amp; xix. Solis insignis defectio his Coss. accidit Romæ Julii xvii. hora 11, 17. à media nocte: fuitque digitorum 10; ferè. Firmicus lib. 1. cap. 11.</p>				<p><i>Silvestri</i> 21.</p>			
5048 8. 13. 8 E	4318	335	52	30	111	1088	1083
<p><i>Constantinus.</i> <i>Albinus.</i> Constantinus tricennalia edidit viii. Kalend. Augusti, &amp; levatus est Dalmatius Cæsar xiv. Kalend. Octob. Idatius. Aurel. Victor. Hic erat Dalmatii fratris Constantini filius. Eius verò fratrem Annibalianum, ait Anonymus; data ei Constantiana filia sua, regem regum, &amp; Ponticarum gentium constituit. (Hinc Annibalianus rex ab Ammiano initio lib. xiv. dicitur.) Ita Gallias Constantinus minor debebat: Orientem Constantius: Africam, Illyricum, &amp; Italiam Constans: ripam Gothicam Dalmatius tuebatur. Hæc Anonymus. Eusebius quoque lib. iv. de vita cap. 11. &amp; 111. refert Constantinum in tres filios imperium esse partitum.</p>				<p><i>Silvestri</i> 22.</p>			
<p>Celebratum est hoc anno famosum illud Conciliabulum Tyri; cui se sedit Athanasius, &amp; objectam Arsenii eadem, aliæque crimina strenuè diluit. Sed adversariorum impotentia coactus est ad Constantinum fugere. Interim missi in Ægyptum ex Conciliabulo, qui de iisdem criminibus inquirerent: qui quidem per summam injuriam, &amp; calumpniam omnia gesserunt. secundum quæ absentem Athanasium condemnant. Socrates. Sozom. Epiphani. in Arianis, &amp; alii.</p>				<p><i>Julii</i> 3.</p>			
<p>Basilica à Constantino erecta Tyri ab Episcopis dedicatur. Inde altera Hierosolymis, quæ Martyrion dicta est. Euseb. iv. de vita, cap. xli. &amp; xlii. &amp; seq.</p>				<p><i>Polemus.</i></p>			
<p>Nazarii Oratoris Gallicani filia in cloquentia patri coæquatur. Tiberianus vir disertus Præfectus Prætorio Gallias regit. Eustathius Constantinopolitanus Presbyter agnosci-</p>				<p>Athanasius à Constantino juniore cum litteris Alexandriam remissus magno cum honore ibidem exceptus est. Theodor. 11. cap. 1. Athan. Apol. 11.</p>			
<p>Constantinus expeditionem in Persas suscipit, &amp; Antiochiæ à S. Spiridione Trimithuntis in Cypro Episcopo à morbo</p>				<p>Fff 3</p>			

Per. Jul. Ind.	Mundi.	Anni Chr.	Era Dioc.	Imp. Rom.	Olymp.	Urbis cond.	Era Nab.
5049 9. 14. 9 DC	4319	336	53	31	112	1089	1084
<p><i>Nepotianus.</i> xxxv. Pontifex <i>Facundus.</i> xxxvi. Pontifex <i>Marcus I.</i> Julius I. Marcus Papa Romanus Silvestro subrogatus est xvii. Kalend. Febr.</p>				<p>31</p>			
<p>Athanasio apud Imperatorem instante, Constantinopolim evocantur Episcopi, qui ipsum condemnaverant. In novis criminibus Athanasium accusant. quibus Imperator commotus &amp; ipsum, &amp; ejus fautores Episcopos relegat. Athanasium quidem Treverim in Galliam, ubi à S. Maximo perhumaniter exceptus est. Triumphantibus interim Arianis, Arius Constantinopolim accitus fidei professione edita Imperatorem illudit. Sed paullo post miro Dei judicio miseranda morte perit. Rufin. 1. 1. cap. xii. Athan. ad Serap. Socrat. lib. 1, cap. xxv. Sozom. &amp; alii.</p>				<p>112</p>			
<p>Constantinus in urbe cognomine basilicam Apostolorum, ubi sepeliretur, extruxit. Euseb. iv. de vita, cap. lvi. Socrat. lib. 1, cap. ult.</p>				<p>113</p>			
<p>Constantino filio Constantinus uxorem dedit. Euseb. lib. iv. de vita. Hanc aliam quam Eusebiam oportet esse, si vera scripsit Julianus Aug. Orat. in eandem Eusebiam: ubi Constantium jam &amp; imperii, &amp; totius orbis fere potentem, post vindictam de injusto usurpatore ditionem suam, Eusebiam sibi conjugem ad civitatem memorat.</p>				<p>114</p>			
<p>Marcus Papa octavo sedis suæ mense moritur Octobris vii. Huic successit Julius Romanus, Octobris xxvii.</p>				<p>115</p>			
<p>Constantinus legem tulit, ut si quis Judæorum Christianum mancipium, aut cuiusvis sectæ mercatus circumcidisset, libertatis privilegii qui hoc sustinisset potiretur. Cod. Theod. L. 1. Ne Christi mancip. &amp;c.</p>				<p>116</p>			
<p>Item ne Judæis Christianos ex Judaismo conversos inquietare liceret. Lege v. Cod. de Judæis.</p>				<p>117</p>			
<p>Indorum legatos munera ferentes Constantinus excepit. Euseb. lib. iv. de Vita Constant.</p>				<p>118</p>			
<p>Idem reliquias SS. Luca, Andreæ, &amp; Timothei Constantinopolim transtulit. Hieron. contra Vigil.</p>				<p>119</p>			
5050 10. 15. 10 B	4320	337	54	1	Olymp. 279	1090	1085
<p><i>Felicianus.</i> Julii <i>Titianus.</i> 2. xli. Imp. Constantinus. Constantinus Imperator xi. Kalend. Junias, sive Maii xxii, ipso die Pentecostes ex hac vita migravit, rure proximo Nicomediæ, quod Achyronam vocabant, sub meridiem. Aurelius Victor. Idatius. Euseb. lib. iv. de vita, cap. lxxv. Imperavit annos xxxi, aut xxxii. etiam attigit, si vera est conjectura nostra, mortuum Constantium Chlorum anno Christi cccv. Eusebius, alique veteres paullo ante mortem baptizatum esse memorant. Vide lib. xi, cap. xlv.</p>				<p>1</p>			
<p>Eodem anno tres Augusti renunciati sunt, Constantinus, Constantius, &amp; Constans v. Id. Sept. ut ait Idatius. Hi imperium inter se partiti sunt: ut Constantinus Gallias, &amp; quicquid trans Alpes erat obtineret: Constans Romam, &amp; Italiam, Africam, Siciliam, &amp; insulas reliquas, Illyricum, Macedoniam, &amp; Græciam: Constantius Thraciam, Asiam, &amp; Orientem cum Ægypto. Erant &amp; imperii quodammodo participes Dalmatius Cæsar, &amp; Constantius Constantini frater, &amp; Anaballianus, coccinea, &amp; aurata veste, ac Nobilissimus titulo donati à Constantino. Sed hi omnes militari seditione, haud dubiè incitante, vel connivente Constantio, sublati sunt: cumque his Optatus Patricius à Constantino factus, novo, &amp; ab eodem excogitato dignitatis titulo, quo qui afficiebantur supra Præfectos Prætorio sedebant. Occisus est &amp; Ablavus Præf. Præf. Gallus autem, &amp; Julianus ægrè servati sunt. Zosimus 11. Socrat. 111, cap. 1. Sozom. v, cap. 11.</p>				<p>2</p>			
<p>Zosimus falsus est, dum tres illos Constantini successores non ex Fausta Maximiani filia genitos, sed ex alia susceptos ait, quam adulterii insinulatam occidit.</p>				<p>11</p>			
<p>Romæ concilium à Julio Papa celebratur, in quo Nicæni concilii acta probata sunt, &amp; hæresis Ariana damnata.</p>				<p>11</p>			
5051 11. 16. 11 A	4321	338	55	2	11	1091	1086
<p><i>Ursus.</i> <i>Polemus.</i></p>				<p>2</p>			
<p>Athanasius à Constantino juniore cum litteris Alexandriam remissus magno cum honore ibidem exceptus est. Theodor. 11, cap. 1. Athan. Apol. 11.</p>				<p>11</p>			
<p>Constantius expeditionem in Persas suscipit, &amp; Antiochiæ à S. Spiridione Trimithuntis in Cypro Episcopo à morbo</p>				<p>11</p>			



DE DOCTRINA TEMPORUM

Table with columns: Per. Jul. \* Ind., Mundi., Anni Chr., Era Dioc.

morbo curatus est. Metaphraſtes in ejus vita, xii. Sep- temb. Sapores Perſarum rex Niſibin acri obſidione premit duobus menſibus. Sed à S. Jacobo ejus Epifcopo illius impetus propulfatur, & immiſſo culicum agmine fugatur. Hieron. Chron. Theodoret. in Philothco. Deſcribit hanc obſidionem Julianus in Paneg. Conſtantii. Conſtantius Aug. 11. Julii 3. Eufebius Nicomediensis cum fautoribus suis legatos ad Julium & ad Conſtantinum, ac Conſtantem mittunt cum expoſtulatione adverſus Athanaſium. qui ab ejus legatis conſutati, generale concilium poſtulant. Athan. Apol. 11. & ad Solitar. Hoc anno Conſtantinus & Conſtans matrimonia cum fratris, ſororiſve filia ſub capitali pena, prohibuerunt. L. 1. Cod. de inceſtis nuptiis. Acyndinus. Julii Imper. Conſtantius. Proculus. 5. Synodus in cauſa Athanaſii Romæ à Julio indicitur. ad quam Athanaſius accurrit, & Romæ annum 1. M. vi. hæſit. Interim Antonii vitam publicat. Julii P. epiſtola apud Athan. Apol. 11. Eufebius Caſariensis moritur, ut indicat Socrates 11. cap. 111. Alexander Conſtantinopolitanus anno ætatis xcviii. cum ſediſſet annos xxiii. moritur. Succedit Paulus orthodoxus. qui ab Arianiſ per Conſtantium Imperatorem ejicitur, & in ejus locum Eufebius Nicomediensis tranſfertur. Paulus verò in Pontum relegatur. Socrat. lib. 11. cap. iv. & ſeq. Sozom. 111. cap. iv. Athan. ad ſolitar. Eufathius Antiochenus per calumniam meretriculæ deponitur. Athan. ib. Catholici verò deinceps Antiochiæ privatos conventus agentes Eufathiani dicti ſunt. Conſtantinus junior Conſtanti fratri bellum inferens, ac latrocinii ſpecie in ejus fines irrumpens obruncatus eſt, projectuſque in flumen Alſam prope Aquilciam Aurel. Viſtor. Idatius. Zoſimus lib. 11. ſcribit Conſtantem, mota inter ipſum & fratrem controverſia de Africa Carthagini contributa, & Italia, triennio toto conceptam in illum iracundiam ſoviſſe, ac demum per inſidias oppreſſiſſe. Marcellinus. Julii 6. His Coſſ. pugna facta eſt cum gente Francorum à Conſtante in Gallis. & ipſo anno terræ motus fuit ad Orientem per totum annum præter Antiochiam. Idatius. Terræ motus meminit Oroſ. vii. cap. xxix. De Francis Hier. Chron. Antiochiæ Dominicum aureum conſecratur, ait Hieron. Chron. Hæc ſunt celeberrima illa encania, quibus baſilica à Conſtantino M. conſtructa dedicata eſt, & Conſtantio præſente Synodus habita Epifcoporum xc. vel xcvi. aut xcix. è quibus Ariani xxxvi. Ibi Athanaſius exauſtoratur, eique ſubſtituitur Gregorius Cappadox. Poſtea fidei Confeſſio ab iſſdem edita; in qua & & & vocabulum ſuppreſſum. Tum Canones conditi xxv. qui poſtea in corpus Canonum recepti. Julii Papæ legati ab Arianiſ detenti, ac tandem dimiſſi ad Julium redeunt. Is fruſtra exſpectatis Eufebianis, quos ad Synodum citarat, Romæ conventu Epifcoporum habito, illos damnat, & Athanaſium abſolvit. Sed & Marcelli Ancyrani cognita cauſa, & ipſum ad communionem recipit. Socrat. lib. 11. Sozom. 111. Athan. de Synod. Athanaſius abſolutus Alexandriam proficiſcitur. Socrates. Conſtantius ſacrificia interdicit. L. 11. Cod. de Paganis, &c. Conſtantius Aug. 111. Julii 7. Franci à Conſtante victi, ſeu pacati, ait Idat. & Hieron. Chron. Gregorius Cappadox per præſectum Philagrium Conſtantii juſſu Alexandriam introducitur: ibique ingens civium patrata cædes. Athanaſius clam dilapſus Romam conſugit. Athan. Epiſt. ad Orthod. Eufebius ex Nicomediensis Conſtantinopolitanus Epifcopus moritur. poſt cujus obitum de ſucceſſore tumultuatum: Catholicis Paulum olim ejectionem; Arianiſ Macedonium ſubrogantibus. Hermogenes porro dux à Conſtantio miſſus Paulum expulſit, & civitatem frumentaria annona mulctavit. Paulus interim Romam ſeſe recipit. Eodem

Table with columns: Imp. Rom., Olymp., Urbis cond., Era Nab.

LIBER DECIMUS TERTIUS.

Table with columns: Per. Jul. \* Ind., Mundi., Anni Chr., Era Dioc.

Eodem & Aſclepas Gazzæ, Marcellus, Ancyra, Lucius Hadrianopolis Epifcopi ſedibus pulſi ſuis advenere. Hermogenes à populo tractus, & miſerrime diſcerptus eſt. Socrat. 11. cap. x. Sozom. 111. cap. v. Idatius tractum ait Hermogenem hoc anno. Photinus Ancyra oriundus Marcelli Ancyrani diſcipulus hoc ſerè tempore novam hæreſin condidit. Socrat. 11. cap. xi. Placidus. Julii 8. S. Paulus primus eremita moritur annos natus cxlii. Hieron. in ejus vita. Apud Perſas dira in Chriſtianos exorta perſecutio, in qua Simeon Seleuciæ, & Cteſiphontis Epifcopus; Uſtazanes Eunuchorum princeps, ac regis educator, aliique complures occiſi ſunt. Sozom. 11. cap. viii. Hieron. Chron. Leontius. Julii 9. Aliud Antiochiæ concilium ab Arianiſ celebratur: in eoque nova fidei forma conſcribitur, ceteris prolixior, atque ob id & Luciani martyris titulo edita eſt. Sozom. 111. cap. v. Athan. de Synodis. Neocæſarea in Ponto ſubverſa, excepta Eccleſia, Epifcopo, ceteriſque, qui ibi reperti ſunt. Hieron. Chron. Amantius. Julii 10. Albinus. Conſtantius adverſus Perſas in expeditione perſeverat: contra quos parum proſperè pugnat. Oroſ. vii. cap. xxix. Titianus vir eloquens Præſecturam Prætoriam apud Gallos exercet Hieron. Gallus & Julianus Conſtantii Conſtantini M. fratris filii hoc ſerè tempore clerici facti ſunt qui cum ambo Martyrum baſilicam extruerent, Galli opere procedente, Juliani opus excutebatur, & cornebat. Gregor. Nazianz. Orat. 1. in Jul. Conſtantius Aug. 111. Julii 11. Athanaſius poſt triennium, quam Romam adierat, accitus à Conſtante Mediolanum venit; ubi de convocando concilio agitur. Athan. Apol. 1. Præerat tunc Mediolani Protæſus. Indicta eſt Sardicam generalis Synodus à Conſtante & Conſtantio. Theodor. L. 11. cap. iv. Concilium Agrippinenſe, ſive Colonienſe celebratum; in eoque damnatus Euphrates illius urbis Epifcopus, qui Chriſti divinitatem negabat. Eclipſis Solis accidit Junii vi. feria vi. hora 5, 31. poſt mediam noctem Conſtantinopoli, digitorum 8. Rufinus. Julii 12. Eufebius. Sardiceniſ Synodus hoc anno celebrata Sardicæ, quæ urbs in Illyrico, & in Thracia, ac Myſiæ conſinio poſita eſt. Interfuert cccxx. Epifcopi plerique Catholici; reliqui Ariani. Ex Galliis adfuit Maximinus Trevirenſis, Servatius Tungræniſ, Simplicius Auguſtodunenſis Epifcopi. In ea abſolutus eſt Athanaſius, Arianiſ damnati, & Canones aliquot conditi. Arianiſ ubi rem ex æquitate ac fide agi vident, paullatim dilapſi Philippis in Thracia conciliabulum eodem tempore celebrant, quod & Sardiceniſ nominant: cujus decretum fidei exitat in Fragmentis Hilarii ad Africanos Epifcopos miſſum. In eo ſtatuerunt, uti Conſubſtantialis vox à nullo deinceps uſurparetur. Sozomen. 111. cap. x. Socrat. 11. cap. xx. Legati ex Sardiceniſ Synodo ad Conſtantium miſſi Vincentius Capuz, & Euphrates Agrippinenſis Epifcopi. Theodoret. 11. cap. viii. De Euphrate mirum, cum anno ſuperiore damnatus legatur. Philippus. Julii 13. Sibia. Bellum Perſicum nocturnum ad Singaram geſtum hoc anno produit Hieron. Chron. & Idatius quando haud dubiam victoriam ferocia militum Conſtantius amiſit: qui pugnam ſeditioſe & ſtolidè contra rationem belli die jam præcipiti popoſcerunt. Eutrop. x. Sex Rufus. Addit Hieronymus ex novem graviffimis præliis contra Perſas maximum id accidiffe. quo & Niſibis obſeſſa, & Bizabdæ, & Amida capta ſunt.

Table with columns: Imp. Rom., Olymp., Urbis cond., Era Nab.



Per. Jul. * Ind.	Mundi.	Anni Chr.	Era Dioc.
5062 22. 8. 7 A	4332	349	66
5063 23. 9. 8 G	4333	350	67
5064 24. 10. 9 F.	4334	351	68

Vincentius, & Euphrates Sardicenis Synodi legati à Stephano Antiocheno Episcopo per subornatam meretricem calumniam passi sunt. Sed mox fraude patefacta Stephanus abdicatus, & ab Ecclesia pulsus est, eique Leontius eviratus suffectus homo perditus. Theodoret. 11. cap. 1x.

Paulus Constantinopolitanus Episcopus, & Athanasius datis à Constante minacibus ad Constantium litteris restituti sunt. quamquam hoc anno apud Constantem substitit Athanasius. Theodor. ibid. Socrat. 11. cap. xviii. Sozom. 111. cap. xix.

Constantis Imperator Paulum & Macarium viros clarissimos in Africam misit, qui Donatistas ad Ecclesiam Catholicam adducerent, & pauperum inopiam sublevent. quibus Donati ambo Donatistarum Episcopi, alter Carthaginensis, alter Bagaiensis antistes resisterunt: quin & Circuncelliones in eisdem armarunt: quorum plerique à militibus occisi, & pro martyribus à Donatistis in honore habitis sunt. Optatus lib. 111.

Concilium Carthaginense 1. sub Grato Episcopo Carthagin. in quo Canones xiv. sanciti. To. 1. Concil.

Maximus Hierosolymorum Episcopus moritur. cui subrogatus est Cyrillus, quem Hieronymus ab Acacio Casariensi in mercedem perfidiae Episcopatum hunc adeptum esse scribit; quod Maximi ordinatione, à quo presbyter factus erat, ejurata, Diaconus in Ecclesia ministrasset.

Sol hoc anno defecit Octobris 1x. feria 1. sub horam diei secundam, ut testatur Theophanes: ac diametri besis circiter defecit. Vide lib. xi. cap. xlv.

*Limennus.* *Julii*  
*Carullinus.* *14.*

Constantius fratris literis minisque compulsus Athanasium ad sese evocat, postquam Gregorius ab Alexandrinis occisus est: & Antiochiam ad sese venientem benignè excepit. Quin & omnia contra ipsum acta aboleri iussit. Constantio porrò Ecclesiam Arianis suis Alexandriae postulante; cum vicissim Antiochiae dati Catholicis Athanasius restipulatus esset, Arianis conditionem detrectantibus, Alexandriam cum honore remissus est. Theodor. 11. cap. xii. Socrat. 11. cap. xviii.

*Sergius.* *Julii* *Imperator*  
*Nigrinianus.* *15.* *Constantius solus.*

His Coss. (ait Idatius) Constantis occisus est in Salluis à Magnentio, & levatus est Magnentius die xv. Kalend. Febr. & Vetrano apud Sirmium Kalend. Maii. Eo anno & Nepotianus Romæ 111. Non. Jun. & pugna magna fuit cum Romanis, & Magnentianis. Hæc Idatius. Eutrop. x. ex eoque Chron. Hieronymi idem refert: nimirum Constantem anno imperii xviii. (ex quo scilicet Cæsar factus est) ætatis xxx. occisum esse non longè ab Hispaniis in castro, cui Helene nomen est. Victor annum tribuit ætatis xxvii. Augustæ potestatis xiiii. atque cæsum ipsum à Gaisone, quem Magnentius arrepta tyrannide ad illum opprimendum miserat. cuius morte cognita Vetrano Magister militum imperium in Pannonia apud Mursum occupavit. Eadem & Zosimus habet.

Nepotianus Eutropia Constantini forene natus à Magnentianis ducibus oppressus est vicesimo octavo die, eisque caput pilo præfixum. Vetrano octavo post mense, nempe viii. Kalend. Jan. (ut scribit Idatius) in ordinem redactus est, eique commodam in otio vitam Constantius indulxit. Hæc idem illi Scriptores.

Inter hæc Athanasius incredibili ordinum omnium gratulatione Alexandria exceptus est. Sed antequam eò perveniret, Hierosolymis in ejus gratiam celebrata Synodus est. Laodiceæ quoque in Syria cum Apollinari Lectore filio Apollinaris alterius consuetudinem habuit. Quam ob causam à Georgio Laodiceno ejectus Apollinaris conceptum dolorem in pestilentissimam hæresin effudit. Socrat. 11. cap. xxxvi. Sozom. vii. cap. xxvi.

Ursatius & Valens penitentiam professi ad Athanasium scripserunt: ac Romam profecti Julio Papæ penitentiae libellos obtulerunt. Athan. Epist. ad Solit. Socrat. Sozom.

*Post Consulatum Sergii & Nigriniani.* *Julii 16.*  
Constantius adversus Magnentium bellum parans, Gallum patruelem suum Cæsarem facit Idibus Martiis, ut testatur Idatius; quem & Constantium appellavit, & ei commisit Orientem, ac sororem eidem Constantiam uxorem

Imp. Rom.	Olymp.	Urbis cond.	Era Nab.
	13	Olymp. 282	1102 1097
	14	11	1103 1098
	15	111	1104 1099

Per. Jul. * Ind.	Mundi.	Anni Chr.	Era Dioc.
5065 25. 11. 10 ED	4335	352	69
5066 26. 12. 11 C	4336	353	70

uxorem dedit, quæ Annibaliano antè nupserat. Magnentius verò Decentio fratri Cæsari Gallias permisit. Postea cum Magnentio ad Mursum in Pannonia prælium fuit. Victus primò Constantii exercitus; postea superior fuit. quo in prælio ingentes Romani imperii vires consumptæ sunt. Aurel. Vict. Eutrop. x. Zosimus 11. Hieron. Chron. Idatius iv. Kalend. Octobris pugnatum refert. Severus lib. 11. scribit eo tempore, quo apud Mursum armis certatum, Constantium in basilica Martyrum extra oppidum sita, Valente tunc ejus loci Episcopo in solatium assumpto, diversatum esse. Valentem porrò callidè per suos disposuisse, ut quis prælii fuisset eventus primus cognosceret. Itaque primus nunciavit hostes cecidisse. Ex quo ille multum apud Imperatorem gratia sibi peperit.

Eodem anno Sirmii Synodus est habita; in qua Photinus damnatus est; agente potissimum Basilio Ancyre Episcopo. Et quamquam Ariani fermè omnes convenerant, tamen quòd nihil adversus fidem decrevisset, Catholica Synodus propemodum est habita, & in ea edita fidei confessio probatur ab Hilario lib. de Synodis; & Vigilio lib. v. cont. Euty. Vide quæ in Animadver. Epiph. ad Hæc. lxxxi. differimus.

Per idem tempus orta creditur Paganorum appellatio: cum videlicet Constantius Christianos esse mites omnes iussit, ac detrectantes exautoravit, paganosque esse voluit. Theodor. 111. cap. 111. ac tunc Martinus baptizatus est, ut asserit Gregor. Turon. lib. 1. cap. xxxv. cum annum ageret vitæ xxxv.

Paulus Constantinop. Episcopus Constantii iussu per Philippum Præfectum dejectus est, eique subrogatus Macedonius: à quo dira in Catholicos commota persecutio. Paulus in exilium missus, postea Cucasi strangulatus est. Theodor. 11. cap. v. Socrat. 11. cap. xxi. Sozomen. iv. cap. 11.

*Constantius Aug. v. Julii xxxvii. Pontifex*  
*Constantius Gallus Cæsar. 17. Liberius 1.*

Constantius Gallus in Oriente crudeliter se gerit. Judæos, qui Patricium in regni specie sustulerant, oppresit, cæsis multis hominum millibus, usque ad innoxiam ætatem: & civitates eorum Diocæsaream, Tiberiadem, & Diopolin, plurimæque oppida igni tradidit. Aurel. Vict. Hieron.

Hoc anno 111. Kalend. Febr. Luna xxviii. signum Salvatoris apparuit in Oriente, ut refert Idatius. De hac Crucis apparitione meminit Sozom. lib. iv. cap. iv. At Cyrillus in epistola ad Constantium ea de re scripta per dies Pentecostes Nonis Maii conspectum esse id refert.

Julius Papa cum sedisset annos xvi. M. v. dies xvii. moritur. Post dies xxv. octava Maii Liberius ei succeditur.

*Constantius Augustus vi. Liberii*  
*Constantius Gallus Cæsar 11. 2.*

Magnentius desperatis rebus in Gallis apud Lugdunum se interfecit 111. Eid. Augusti, cum tribus annis, & vi. mensibus vel vii. imperasset. Decentius ejus frater apud Senonas laqueo se suspendit xv. Kalend. Septembris. Victor. Eutrop. x. Zosimus 11. Idatius. Hieron. Chron.

Constantius in Gallias profectus Arelate hiemem egit. Ibi ludos atque Circenses ambizioso apparatu edidit A. D. vi. Eid. Octob. qui tricesimum imperii illius annum terminabat. Amm. xiv. Verum cum anno cccxxiv. Crispo 111. & Constantino Jun. Coss. Cæsar à patre factus sit Constantius, & quidem 111. Eid. Novembris, ut testis est Idatius: non xxx. annum terminavit, sed inchoavit potius iste, qui est Christi ccccliii.

Interim multi nobilium à Gallo Antiochia intercepti sunt; insligante potissimum Constantia illius conjuge, quam Megeram mortalem vocat Ammianus. Quibus compertis Constantius Domitianum ex Comitè Largitionum Præfecto mittit in Orientem, qui Gallum ad Italiam hortaretur accedere. Qui cum imperiosius Antiochiz Gallum esset allocutus, concitatis ab eo militibus occisus est. Amm. xiv.

Arelate Synodus Arianorum à Constantio coacta, in qua damnatus Athanasius: Paulinus Treverensis in exilium missus. Severus Sulpit. 11. Gennadius forensis orator Romæ insignis habetur. Minervius quoque Burdigalensis Rhetor Romæ insignissimè docet. Hieron. Chron.



Per. Jul. Ind.	Mundi.	Anni Chr.	Æra Dioc.	Imp. Rom.	Olymp.	Urbis cond.	Æra Nab.
5057 17. 13. 12 B	4337	354	71	18	11	1107	1102
<p><i>Constantius Aug. VII.</i> <i>Liberii</i>  <i>Constantius Gallus Cesar. III.</i> 3.</p> <p>Constantius Imperator Arelate movens contra Gundomadum, &amp; Vadomarium Alemannorum reges, fœdus postea cum illis pepigit. Secundum hæc Mediolanum ad hiberna discessit. Interea Constantina Galli uxor fratris accitu veniens in Bithynia repentina vi febrium periit. Gallus callidè pertractus iussu Constantii in insula Flanona in Illyrico est occisus. Ammian. xiv. Idatius. Socrat. 11. cap. xxvii. vel 23.</p> <p>Julianus Galli frater in discrimen adductus, Mediolanum cum venisset, Eusebie Augustæ opera liberatus, post Athenas studiorum causâ profectus est. Ammian. xv. Julianus Panegyri. Eusebie. Erant tum Athenis Basilii, &amp; Gregorius intima familiaritate conjuncti.</p> <p>Musonianus, qui &amp; Strategius, Præfectus erat Prætorio Orientis. Ammian. xv.</p> <p>Hoc anno Idibus Novembris natus est S. Augustinus. Vide annum Christi ccccxxx. Ipse initio libri de vita beata diei natalis meminit.</p>				19	111	1108	1103
5068 18. 14. 13 A	4338	355	72	<p><i>Arberio.</i> <i>Liberii</i>  <i>Lollianus.</i> 4.</p> <p>Mediolanense Concilium à Constantio indicitur; quo ab omnibus Episcopis Athanasii damnationem extorqueret. Plerosque igitur ei damnationi subscribere renuentes in exilium eiecit: imprimis Eusebium Vercellensem, Dionysium Mediolanensem; ac postremò Liberium Papam, quem Roma Mediolanum exciverat, Beream relegavit; cujus in locum Felix ordinatur.</p> <p>Osius ex Hispania vocatus, frustra que sollicitatus, in patriam rediit. Socrat. 11. cap. xxix. Theodor. 11. cap. xv. &amp; seq. Sozom. 1v. cap. viii, xv. &amp; seq. Severus 11. Ammianus quoque lib. xv. Liberii meminit.</p> <p>Eodem tempore Hilarius Pictavorum Episcopus exilio mulctatur. Severus Sulp. 11. Sed &amp; Rhodanus Episcopus, &amp; alii apud Hieron. in Chronico.</p> <p>Silvanus Magister peditum apud Agrippinam tyrannidem invadit. Sed is intra xxviii. diem militari tumultu sublatu est. Ammianus. Victor. Eutrop. &amp;c.</p> <p>Julianus Galli frater Cesar à Constantio factus, &amp; Transalpinis præfectus: agente potissimum Eusebia. Helena quoque Constantii foror Juliano nupsit. Ammianus. Zosimus 111. Idatius. Hieron. Sed ante hæc Agrippinam coloniam Germani obsessam captamque deleverunt.</p> <p>Constantius rescripto, quod exstat L. xii. Cod. Theod. de Episcopis, &amp;c. vetuit Episcopos in judiciis accusari: sed ab aliis Episcopis iudicari voluit.</p> <p>Donatus, à quo Donatiani, Carthagine pellitur. cujus sectatores quidam Montenses dicti, quòd Romæ Ecclesiam primum in monte habere cœperunt. Hieronymus Chron.</p> <p>Victorinus Rhetor Romæ insignis habetur: adeo ut statuum etiam in foro Trajani meruerit. Sed &amp; Donatus Grammaticus Hieronymi præceptor claruit. Idem.</p>			
5069 1. 15. 14 GF	4339	356	73	20	11	1109	1104 Marsi 10
<p><i>Constantius Aug. viii.</i> <i>Liberii</i>  <i>Julianus Cesar.</i> 5.</p> <p>Constantius Romam 111. Kalendas Maias propè triumphans ingreditur. Ibi à matronis interpellatus Liberium se revocaturum esse promisit. Ammian. xvi. Theodor. 11. cap. xvii.</p> <p>Syrianus dux Alexandriam veniens, v. Kalend. Febr. in Ecclesiam irrumpit, ac stragem edit. Athanasius agrè dilapsus est. Georgius in ejus locum intruditur: qui in omnes ordines crudelissimè grassatur. Lucifer Caralitanus egregie pro Catholica fide restitit: ut &amp; Eusebius Vercellensis, qui in exilio quamplurima pro Christo patitur, Scythopolin relegatus: ubi primum à Josepho Comite perhumaniter habitus est, eoque ipsum Epiphanius invisit; ut Hæc. xxx. testatur. Post à Patrophilo Ariano Episcopo dire vexatus est. Rufinus 11. cap. xxvii. Socrat. 111. cap. 1v. Mortui sunt ærumnis confecti Dionysius Mediolanensis &amp; Paulinus Trevirensis. S. Ambrosius Epistola ad Vercellens. Hieron. Chron.</p> <p>Eudoxius Germanicæ Episcopus, audita Leontii morte, Roma Antiochiam advolans sedem occupat: statimque Aetium impium restituere satagens, id efficere non potuit. Socrat. Sozom. &amp;c.</p>				Constan-			

Per. Jul. Ind.	Mundi.	Anni Chr.	Æra Dioc.	Imp. Rom.	Olymp.	Urbis cond.	Æra Nab.
5070 2. 16. 15 E	4340	357	74	21	11	1110	1105
<p><i>Constantius Aug. ix.</i> <i>Liberii</i>  <i>Julianus Cesar. 11.</i> 6.</p> <p>Julianus contra Germanos accingitur. qui Lugdunum invadunt: sed subinde disjecti sunt. Idem Tres tabernas à Germanis subversas instaurat. Demum Alemannos cruento prælio ad Argentoratum superat, eorumque regem Chonodorum vincit Romam ad Constantium mittit. Inde Parisiis hiemavit. Ammian. xvi. Zosimus 111.</p> <p>Constantius interim Sirmii degebat; ubi nova fidei expositio paucis ab Ariano concipitur; quorum principes erant Ursacius &amp; Valens. Cui mox invitatus subscribit Osius: non tamen Athanasium ut damnaret adduci potuit. Ea res est Sirmiana, quam Hilarius lib. de Synodis blasphemiam Osii, ac Potamii nominat. Hujus cum Ariano postea penituisse, operam dederunt, ut ea ubique supprimeretur, pena capitali ab Imperat. proposita iis, qui eam apud se retinerent: ut ait Socrates lib. 11. cap. xxv.</p> <p>Per idem tempus Liberius Papa; qui anno cclv. Beream relegatus fuerat, Constantii, &amp; Ariatorum fraude ac terrore compulsus Athanasii damnationi subscribit, unaque professionem fidei dedit, qua <i>hæresis</i> vocabulum concordie gratiâ subiceretur: tametsi Filium Patri per omnia similem esse definiret. Hanc <i>hæresis</i> nacti Ursacius &amp; Valens alteram fidei formulam sub Liberii nomine perfidie plenam condiderunt: ob quam magna per Orientem &amp; Syriam perturbatio exitit. Itaque Georgius Laodicenus Semiarianus ad Basilium Ancyrarum ejusdem factionis litteras dedit, hortans ut grassantem Anomœorum hæresin comprimeret. Hæc ex Socrate, Sozomeno, Theodoro, &amp; Epiphano. Hæres. lxxiii. digestimus in Animadver. pag. 318.</p> <p>Constantius 1v. Kalend. Maias Romam venit, ediditque xxxv. Idatius.</p> <p>Obeliscus in Circo maximo erectus est. Amm. xvi.</p> <p>Reliquie SS. Andrea &amp; Luca v. Non. Mart. introductæ. Idatius.</p> <p>Constantius viii. Kalend. Septembris Mediolani Magos &amp; ariolos consuli, capitali proposita poena vetuit. L. 1v. Cod. Theod. de Malef. &amp; Mat.</p> <p>Idem xvi. Kalend. Novembris gladiatores abrogavit. L. 11. Cod. de gladiat.</p> <p>Ad hæc 1v. Kalend. Novembris Ecclesia Urbis Romæ Clericis privilegia confirmavit. L. xiii. Cod. de Episc. &amp;c.</p> <p>Tum v. Kalend. Jun. de immunitate Clericorum rescriptum Mediolano dedit.</p>				22	11	1111	1106
5071 3. 17. 1 D	4341	358	75	<p><i>Datanus.</i> <i>Liberii</i>  <i>Cerealis.</i> 7.</p> <p>Legati à Persarum rege ad Constantium missi, qui invidiosas pacis conditiones dicerent. Ii Constantinopolin vii. Kalend. Mart. ingressi sunt, ait Idatius. qui quidem addit, tertæ motus horrendos per Macedoniam, Asiam, &amp; Pontum multa oppida concussisse: Nicomediam 1x. Kalend. Septembris primo lucis exortu subversam. tum alias civitates et. vexatas.</p> <p>Julianus Francos Salios, qui in Romano solo sedem sibi apud Toxoandriam fixerant, perculit, &amp; in ditionem accepit. Constantius Quados, &amp; Sarmatas æquinoctio verno confecto populatus est, indeque Sarmatici nomen meruit. Ammian. xvii.</p> <p>Basilium Ancyrarum acceptis Georgii Laodicensi litteris, cognitisque quæ à Valente, &amp; Ursatio Sirmii gesta fuerant,</p>			
				Pars II. Ggg 2 fuerant,			